Fragmentarium



ni in ortum meum soror mea sponsa:
messui murram meam cum aromatibus
meis. Comedi favum cum melle meo. bi-
bi vinum meum cum lacte meo. Comedite
amici et bibite. et inebriamini ka-
rissimi. Ego dormio et cor meum vigi-
lat. Vox dilecti mei pulsantis. Aperi michi
soror mea. amica mea. columba
mea. inmaculata mea. quia caput meum
plenum est rore. et cincinni mei gu-
ttis noctium. Expoliavi me tunica
mea. quomodo induar illa? lavi pedes
meos: quomodo inquinabo illos? Dilectus
meus misit manum suam per foramen: et
venter meus intremuit ad tactum eius.
Surrexi ut aperirem dilecto meo: manus
mee stillaverunt murram. digiti mei
pleni murra probatissima. Pessulum os-
tii mei aperui dilecto meo: at ille de-
clinaverat atque transierat. Anima mea lique-
facta est. ut dilectus locutus est. Quesivi
et non inveni illum: vocavi et non respondit michi.
Invenerunt me custodes qui circueunt
civitatem. percusserunt me et vulneraverunt
me. tulerunt pallium meum custodes mu-
rorum. Adiuro vos filie ierusalem. si inveneritis
dilectum meum: ut annuncietis ei. quia
amore langueo. Qualis est dilectus
tuus ex dilecto. o pulcherrima mulierum?
Qualis est dilectus tuus ex dilecto. quia sic adiura-
sti nos? Dilectus meus candidus et ru-
bicundus: electus ex milibus. Caput eius au-
rum optimum. et come eius sicut elate palma-
rum: nigre quasi corvus. Oculi eius sicut co-
lumbe super rivulos aquarum. que lacte sunt lo-
te. et resident iuxta fluenta plenissima.
Gene illius sicut areole aromatum con-
site a pigmentariis. Labia eius lilia di-
stillantia murram primam. manus il-
lius tornatiles auree. plene iacinctis.
Venter eius eburneus. distinctus saphi-
ris. Crura illius columpne mar-
moree. que fundate sunt super bases au-
reas. Species eius ut Libani: electus
ut cedri. Guttur illius suavissimum
et totus desiderabilis. Talis est dilectus meus
et ipse est amicus meus. filie ierusalem. Quo
abiit dilectus tuus o pulcherrima mulie-
rum? Quo declinavit dilectus tuus: et queremus
eum tecum.

VI

Dilectus meus descendit in ortum suum
ad areolam aromatum. ut pascatur
in hortis. et lilia colligat. Ego dile-
cto meo. et dilectus meus michi. qui pa-
scitur inter lilia. Pulcra es amica mea
suavis et decora sicut ierusalem. terribilis
ut castrorum acies ordinata. Averte
oculos tuos a me: quia ipsi me avolare
fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum que
apparuerunt de Galaad. Dentes tui si-
cut grex ovium: que ascenderunt de la-
vacro. Omnes gemellis fetibus. et sterilis
non est in eis. Sicut cortex mali puni-
ci: sic gene tue absque occultis tuis. Sexa-
ginta sunt regine. et octoginta concubine. et ado-
lescentularum non est numerus. Una est colum-
ba mea. perfecta mea. una est matri sue
electa genitrici sue. Viderunt illam filie
syon. et beatissimam eam predicaverunt. et
regine et concubine laudaverunt eam. Que
est ista que progreditur quasi aurora consur-
gens pulcra ut luna electa ut sol. ter-
ribilis ut castrorum acies ordinata.
Descendi in ortum meum ut viderem nucum
poma convallium. ut inspicerem si flo-
ruissent vinee. et germinassent ma-
la punica. Nescivi. anima mea contur-
bavit me. propter quadrigas aminadab.
Revertere revertere sunamitis: revertere
revertere ut intueamur te.

VII

Quid videbis in sunamite nisi cho-
ros castrorum? Quam pulcri sunt gressus tu-
i in calciamentis filia principis. Iunc-
tura feminum tuorum sicut monilia.
que fabricata sunt manu artificis. Um-
bilicus tuus crater tornatilis numquam

Harvard College Library Imaging Services http://imaging.harvard.edu
CM 0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11
Lab D50 2°
95/0/2 81/0/0 66/0/0 51/0/1 35/0/0 20/0/0 29/19/-54 55/-39/33 42/57/29 82/4/79 51/50/-13 50/-28/-29
38/14/16 66/16/18 50/-5/-22 43/-14/21 55/-9/-25 71/-32/0 62/34/60 40/9/-43 52/48/17 31/21/-21 72/-23/57 73/19/68

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, , Leaf 8, verso (seq. 16) – Bible (https://fragmentarium.ms/view/page/F-kzfl/1271/16986)